



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Primam, & Secundam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Illvstrissimo D. D. Ioanni Qvirino Veneto, in Foro I. C. Celeberrimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98587)

ILLVSTRISSIMO D. D.
IOANNI QVIRINO

Veneto, in Foro I. C. Celeberrimo.



ANDEM edita in lucem denuò celebris Hæc Aurea Forensium Praxis, quàm prosperæ addictam Fortunæ, nuper sui Thematis Genesim sortita sit; Ex eo nanque auspicari fas est; Quòd exoptatum, ILLVSTRISSE QVIRINE, dum quærit, inuenit, suscipitque Tuum, aspirantibus Astris, Tutelare Numen. Totam enim fiduciam Fati, Sortemque suam Tuis in Manibus ponendam studuit; Vt, cum euoluere Tibi placuerit, vel lætitan- di tantum gratia Codicis volumina; dexterum à Dextra ad Os vsquè Tuum, suæ Felicitatis cursum, successu fausto, exponere gestiat. Quid mirum! Pendent Tuo ab Ore facundo, disertoque Hominum, atque Deorum, vel Fatum, vel Fortuna.

Sors haud Tua est, Oratoriam quòd Tu exerceas Facultatem; Verum Tuæ sed Clientelæ maxima Fortunarum Fortuna: Vrbs nempe Venetum tota, in amplissimo Diui Marci, aug- stissimoque Foro, facta sui ipsius Celebritas Vniuersa, cum circa Tuum Suggestum ad Te Orantem euolat; Quos cernit Clientes Tuo sub Patrocinio deditos, atque in Causarum actio- ne defensos, Eosdem à Serenissimo Dominatricis Reipublicæ Principe, Regio astante, pleno- que Senatu, in Libertatem iugiter vindictos agnoscit.

Cessit meherculè, nam Tibi Hercules admirabilem illam ab Ore, Cælum, Terramque con- nectentem, ex auro purissimo Catenam; Scilicet, Quia Tu, cum Facundus eloqueris, cum Disertus declamas, Quos instruis, allicis; Quos allicis, attrahis; Quos attrahis Hominesque, Deosque libentissimè ad Tuam auream perducis Sententiam: & apud Quos Orator accedis, discedis Exorator.

Frustrà suum longè exoletum iactant Athenæ Periclem; cum iam hodiè sopita fileat ipsius in Labijs Suadela; Quæ modò, non nisi Tuo tantum scit Ore loqui: Et Quem Omnium Oratorum facile, tunc temporis Principem prædicarunt Demosthenem; Hæc Etate, nam- exaudita vbique Gentium, Elegantissimæ Eloquentiæ Tuæ Fama, illum negligunt, Teque co- lunt, admirantur!

Fateor equidè, mox si Caput exereret, aureque perciperet, Qui, referente Tullio, dixit Antonius; Se Facundos, Disertosque vidisse Multos, Eloquentem verò Neminem; deniquè immutato ex corde conceptu, Te solum, Te tantum, ac inter Facundos, & Disertos, Te certè Oratorem dignosceret Eloquentem.

Attamen, vt reliqui Virtutum percipiant Sectatores, quanta enim sit Hæc Tua, excul- ta Ingenio, Animoque concepta Eloquentiæ Virtus ceteris præstantior Virtutibus; ex Ore Pri- mi Patris Patriæ Romanorum disertissimi non piget ediscere; Nimirum, Nihil aliud est Elo- quentia, quam copiosè loquens Sapientia.

Sapientia igitur, penès Eundem, est, si Rerum Diuinarum, Humanarumque Scientia, Cognitioque, Quæ cuiusque Causa sit: Causam huius eximij quædò dicati Operis, Tua, qua- lis est in Te, Generosa Eloquentiæ Virtus, sic sapienter Eam, benignèque tuearis: Et licet Exi- guum pro Magno Patrocinio NOBILI VIRO exhibeatur Munus; Grande quidè fiet, ex Animi Humanitate libenter acceptum; Ex Ingenij Serenitate præclarè illustratum, Quin etiam ex Foro Urbis in Orbis Forum vlla nec Contradictionis Vmbra Auream Hanc Praxim attinget; Quæ Clariorem in Terris, quàm Phœbus in Cælis, tum Eloquentiæ splendore, tum Sa- pientiæ exornatum lumine, Patronum habet.

Dominat: Tuæ Illustrissimæ

Humillimus, & Addictissimus Seruus
Laurentius Marchesinus.